MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80523-21

AUTHOR:

FRITZSCHIUS, FRANCISCUS V.

TITLE:

FRIDERICO FRANCISCO MAGNO DUCI...

PLACE:

ROSTOCHII

DATE:

Master Negative #

92-80523-21

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books        FUL/BIB   NYCG92-B13705           Acquisitions     NYCG-AE
Record 1 of 0 - Record added today
+
  ID:NYCG92-B13705              RTYP:a    ST:p    FRN:    MS:   EL:       AD:02-27-92
  CC:9668   BLT:am      PCF:?   CSC:?   MOD:     SNR:      ATC:          UD:02-27-92
  CP:gw      L:lat      DM:?    GPC:?   BIO:?    FIC:?     CON:???
  PC:n       PD:    /           REP:?   CPI:?    FSI:?     ILC:????    II:?
  MMD:       OR:     POL:      DM:     RR:       COL:      EML:       GEN:   BSE:
  040       NNC‡cNNC
  100 1     Fritzschius, Franciscus Volcmarus.
  245 10    Friderico Francisco Magno duci megapolitanorum suerinensium et Mariae
        Carolina Augustae‡h[microform].‡bPrincipi e stirpe principum schwarzburg
        ensium rudolphopolitanorum
  260       Rostochii,‡bLiteris Adlerianis.
  LDG       ORIG
  QD        02-27-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4-2-92 INITIALS SA

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

FRIDERICO FRANCISCO
MAGNO DUCI MEGAPOLITANORUM SUERINENSIUM

ET

MARIAE CAROLINAE AUGUSTAE
PRINCIPI E STIRPE PRINCIPUM SCHWARZBURGENSIUM RUDOLPHOPOLITANORUM

DIE XIII M. JULII A. MDCCCLXVIII

QUO DIE

NOVI CONJUGES
SOLEMNI POMPA SUERINUM INGREDIENTUR

FAUSTISSIMA QUAEVIS EXOPTAT

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

NOMINE ET AUCTORITATE

FRANCISCUS VOLCMARUS FRITZSCHIUS
P. P. O.

ADDITUM EST COMMENTATIONIS

DE LUCIANI HERMOTIMO

SPECIMEN PRIMUM.

ROSTOCHII
LITERIS ADLERIANIS.

Ea conditione nati sumus eaque est rerum humanarum vicissitudo, ut secundam fortunam adversa et laetitia rursus luctum crebro sequatur, neque eadem aut rerum facies aut idem habitus animorum semper permaneant. Sed vir fortis et in utramque sortem paratus ne maximis quidem fortunae injuriis adeo se adfligi patitur, ut animum plane despondeat. Friedericus Franciscus, Optimus Princeps quum Augustam suam tandem eluxisset, ad novum matrimonium bonis omnibus probantibus animum adplicuit et Annam uxorem duxit, Principem vere amabilem, quam tunc quidem nemo praevidere potuit tam brevis aevi futuram esse. Cujus morte subita quum et ipse Princeps et tota civitas novum in luctum conjecti essent: tamen illo jam tempore in hominum animis haec tacita spes suberat, fore ut aliquanto post alia marito conjux eademque mater liberis redderetur. Nunc demum id quod etiamtum in dubia spe positum erat, vere habuit eventum: quo facto civitas nostra ex animo universa laetatur. Quamobrem quum Friedericus Franciscus primum cum Augusta sua deinde cum Anna conjunctissime amicissimeque vixerit: in nuptiis recens contractis ea nunc vota omnes suscipimus, ut hae nuptiae cum Maria Principe

initae aeque sint felices, veruntamen eaedem uti sint diuturniores. Obversatur mihi haec scribenti imago filiae Friderici Guilelmi tertii, Borussorum quondam regis, Principis nostrae Alexandrinae, quae annis jam provectior valetudine tamen utitur prosperrima et in tanto fastigio collocata nepotum suorum curam gerit egregiam. Obversantur mihi figura et lineamenta grandaevae matronae saneque venerabilis, Augustae Friedericae, Principis item nostrae, jam dudum viduae. Quae nunc quoque in summa sed vegeta senectute pauperibus multis auxilio est et, sicut est operosa senectus, quotidie aliquid solet legere, prae caeteris autem libros sacros, quos diligentissime habet cognitos. Eadem domum Principum nostrorum toto amat animo, Helenae vero Principi quondam nostrae, noverca privignae vivae mortuaeque non destitit adfectus praebere vere maternos. Hanc igitur, quae quum annum jam exegerit nonagesimum, plurimis nunc quoque exempli loco videtur proposita esse, ambo conjuges novi etiam Maria cognationis vinculo attingunt. Utinam ambo Augustam Friedericam cognatam suam imitati ipsi quoque ad senectutem perveniant longaevam. Hodierno autem die nova Princeps in hasce terras primum ingredietur. Quem ipsum diem bonis votis ominibusque et precationibus civitas nostra universa rite prosequitur atque illud magnopere exoptat, ut Fridericus Franciscus et Maria diu una vivant felices et ut ambo ex hisce nuptiis fructus capiant uberrimos.

---

§ 1.

De Hermotimo dialogo in universum.

Ex omnibus Luciani dialogis ille unus esse gravissimus dicitur, cui nomina data sunt: Ἑρμότιμος ἢ περὶ αἱρέσεων. Fuerunt enim, qui satiricum castiganda philosophia ipsum se philosophum exhibuisse putarent minime contemnendum. Illud vero omnes fere uno ore professi sunt, maximam huic dialogo laudem impertiendam esse. Nam hic dialogus res est seria, non jocosa: in quo satiricus magna urbanitate disputat, non merum (ut alibi solet) agit scurram. Tum in via disserendi Platonem suum optime imitari potest videri et magis etiam Socratem, qui philosophus ad coarguendum erat captiosissimus. Denique mirari licet sermonis puritatem, atticismi veneres omnisque artem compositionis, ut dialogum dicere audeas in suo genere prope perfectum. Quod viri docti quum bene vidissent, non debebant tamen in summa re cum Luciano consentire neque ipsum argumentum dilaudare quasi utile et bonae frugi. Vide vel Wielandium (Lucian T. V p. 3 sq.), Schoellium (Gr. Lit. Gesch. T. II p. 482 ed. Pind.), Schmiederum (ad Lucian. T. I p. 340) et Lehmannum (T. IV p. 3). Atqui Lucianus non solum sectarum rixas vituperat, sed praecise negat id quod verum sit quodque debeat esse unum, ab philosophis unquam inventum esse, qui diversissima quasi unum illud verum venditent, neque magis unquam accidisse, ut philosophi summum bonum, quod in rebus quaerant maxime variis, adsequi possent, denique veram beatitudinem non in vanis syllogismis sed in vita inesse honesta. Quare philosophos omnes ita fugiendos esse, ut canes rabiosos (§ 86). Quae quum ita sint, ne ea quidem excusatio in ‚Hermotimum' cadit, qua in ‚Piscatore' ipse utitur, ut alium dialogum paullo ante scriptum defendat, quod in ‚Vitarum Auctione' non antiquos sed aequales tantum philosophos deriserit. Immo in ‚Hermotimo' quum ipsa philosophia aperte petita sit, etiam veteris Graeciae et omnium temporum (in his nostrorum) philosophi atque adeo philo-

sophia ipsa eaque tota explosi sunt. Itaque Wielandius magnam hujus dialogi utilita-
tem („lehrreichen Inhalt“) non praedicasset, si hac laude se quoque animadvertisset
communem omnium philosophorum hostem exstitisse. Nam in ‚Hermotimo‘ Lucianus
ingens quoddam omnis philosophiae odium manifesto prodidit neque ipse quidem hoc
odium (§ 51 init.*) dissimulavit. Neque subito quodam animi ardore abreptus in
philosophiam hic invehitur, sed ne verbum quidem scripsisse videtur nisi post lentam
meditationem. Qui quum animadvertisset obscura, quae mente cerni sola queunt, sen-
sibus nostris per imagines quasdam admoveri et tanquam subjici posse, mira multitu-
dine aptissimarum imaginum hunc dialogum opplevit: tot enim in Hermotimo insunt
imagines, quot in nullo alio dialogo praeter unum qui ‚Εἰκόνες‘ nomen et omen ha-
bet. Tametsi in eo etiam temporum voluntati aliquid dedit et rhetorum consuetudini
tam graecorum, quorum unus tum ‚Εἰκόνας‘ librum scripserat, Nicostratum dico, de
quo testis est Suidas s. v. Νικόστρατος, quam latinorum. Nam M. Cornelius Fronto
de usu imaginum rhetorico multa dedit ad M. Antoninum p. 69 — 72 ed. Rom. et ipse
Antoninus imaginem quaerens Frontonem consuluit p. 69, ipsaque mater Antonini
doctrinam de imaginibus ad se quoque pertinere voluit, ad quam matronam Fronto
p. 38 — 43 epistolam scripsit imaginibus plenissimam. Sed de his rebus ad Luc. Ima-
gines § 1 plura dicturus sum: interim satis est de imagine rhetorica consuluisse Cic. De
Invent. I, 30, Incert. ad Herennium IV, 49 § 6 et Rhetores Gr. IX p. 676 Walz. Hi
autem rhetores magno in philosophos odio ferri solebant, de qua re Tullius (de Oratore
I c. 17 — 19) multa adtulit, cujus magister in rhetoricis Apollonius in eosdem librum
confecerat auctore scholiasta ad Arist. Nubes v. 144: Ἀπολλώνιος ὁ Μόλων ἐν τῷ
κατὰ φιλοσόφων. Et paullo ante Lucianum, ut Aelium Aristidem omittam, philo-
sophos illius aetatis etiam Fronto p. 231 et p. 290 derisit. Dicerem igitur Lucianum
etiam ut rhetorem odio philosophiam habuisse, nisi ipse § 13 med. testatus esset, Her-
motimum se composuisse annos natum XL (i. e. circiter a. CLX p. Chr. n.), quo tem-
pore rhetoricae jam vale dixerat. Minus etiam credibile est id quod H. Dodwello
(ap. Reitzium ad Lucian. I p. LIII ed. Lehm.) in mentem venit, Hermotimum dialogum
eo consilio scriptum esse, ut M. Antoninus imperator ab philosophia avocaretur. Et
quum de religione in Hermotimo altum sit silentium, ne hoc quidem credo, Lucianum
philosophos objurgasse, quod religionis purioris desiderio teneretur. Etsi nulla philo-
sophorum schola talis fuit, ut fidei norma evadere posset et quasi ipsa religio. Tamen
et stoici § 85 et caeteri unius philosophiae nomine reprehensi sunt. Adparet autem
homines cultiores ab Aristotelis inde tempore philosophiam ipsi jam paganorum reli-

*) Verba haec sunt: ὑβριστὴς ἀεὶ σὺ καὶ οὐκ οἶδ᾽ ὅ τι παθὼν μισεῖς φιλοσοφίαν καὶ ἐς τοὺς φιλοσοφοῦντας ἀποσκώπτεις.

gioni substituisse quasi vicariam, uti docent Plutarchus, Epictetus, Demonax et alii philosophi inprimisque M. Antoninus imperator, qui id egit, ut homines quam plurimi, sicut fuit ipse, Stoici evaderent. Quanquam postea longe aliter Marcus sensit neque alium philosophum agnovit nisi Galenum, ut hic ipse narrat XIV p. 660 ed. Kuhn. De vita autem nefanda eorum, qui sub Marco philosophos se esse clamarent, questi sunt plurimi in his etiam Galenus XIV p. 656, neque ab fide abhorret, primum illius aetatis philosophos ac tum demum caeteros in Luciani odium incurrisse. Certe aliis in saturis, quas in suae aetatis philosophos scripsit, philosopho sicut honesta praecipiat honeste etiam vivendum ac solo virtutis studio ut verus habeatur philosophus elaborandum esse ubique ostendit. At videri possit Lucianus eodem modo judicasse, quo olim ipse Socrates parens ethicae et postea M. Antonini deliciae, Aristo Chius stoicus judicarant ap. Diogenem L. VII, 2 § 160: τόν τε φυσικὸν τόπον καὶ τὸν λογικὸν ἀνῄρει, λέγων τὸν μὲν εἶναι ὑπὲρ ἡμᾶς, τὸν δ᾽ οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, μόνον δὲ τὸν ἠθικὸν εἶναι πρὸς ἡμᾶς. ἐοικέναι δὲ τοὺς διαλεκτικοὺς λόγους τοῖς ἀραχνίοις, ἃ καίτοι δοκοῦντα τεχνικόν τι ἐμφαίνειν, ἄχρηστά ἐστιν, denique post Aristonem universa natio cynicorum ap. Diogenem L. VI, 103: ἀρέσκει οὖν αὐτοῖς τὸν λογικὸν καὶ τὸν φυσικὸν τόπον περιαιρεῖν, ἐμφερῶς Ἀρίστωνι τῷ Χίῳ, μόνῳ δὲ προσέχειν τῷ ἠθικῷ. Ita igitur si Lucianus sensit adeoque morum doctrinam philosophis integram servavit: quomodo idem in Hermotimo philosophis maledicere omnibus potuit? Et qui dialectica omnia de medio sublata se velle diceret, qua audacia in Hermotimo hujus ipsius dialecticae ope philosophiam obtruncare conatus est? Ego vero ut Lucianum refellerem, eadem fere mecum cogitavi quae dixit Solanus ad Hermotim. § 78. Quanquam enim summum bonum, h. e. perfectionem omnibus numeris absolutam adsequi nulli datur philosopho: philosophiae tamen ope et meliores erimus et beatiores eis quos sapientiae nulla cura tangit evademus idque satis magnum ad haec studia incitamentum videri debet. Praeterea ut dialectica quoque defenderem et simul primarium argumentum refutarem, quo Lucianus per totum hunc dialogum contra philosophos utitur, in mentem revocavi celebratissimum illud dictum G. E. Lessingii nostri: „dass das Forschen nach Wahrheit höher stehe als die Wahrheit selbst.“ Quod dictum profecto vel maxime cadit in philosophos. Etsi autem hic dialogus non est ejusmodi, ut eo ab omni philosophiae studio lectores deterreri posse videantur: magnam tamen multis Luciani rationibus vim inesse nemo negabit. Has igitur rationes nostrum erit penitus evertere, in qua re (fatebor enim) diu frustra laboravi.

---

§ 2.

Lucianum in Hermotimo a scepticis philosophis totum pendere demonstratur.

Recte judicat scholiasta Marcianus ad Hermotimum § 53, Lycinum qui se philosophum esse neget, revera tamen agere philosophum, scepticum videlicet*). Et a scepticis Lucianus etiam in Icaromenippo § 5, ibid. § 9, ibid. § 10 aperte suspensus est**). Sed tum ex hoc scholio ad Hermotimum tum ex Icaromenippi locis nonnulli***) male conjecerunt Lucianum ipsum fuisse etiam scepticum philosophum, quod longe secus est. Aliud est enim, ipsum esse scepticum, aliud refutandi causa aliquando uti argumentatione scepticorum et prorsus agere satiricum, quod genus armis uti audet vel hosti detractis. In Hermotimo autem dialogo multa inesse a scepticis adsumta Sextus Empiricus planissime me edocuit. Incipiam ab Hermot. § 55: *ἐγὼ τὰ ἐναντία ἀκούσας μέμνημαι, ὡς ὁ μὲν τὸ ὅλον εἰδὼς εἰδείη ἂν καὶ τὸ μέρος, ὁ δὲ μόνον τὸ μέρος, οὐκέτι καὶ τὸ ὅλον οὕτως.* Haec enim quum aliis quoque dialecticis communia sint, tamen etiam a Pyrrhoneis accipi potuerunt. Vide mihi Sextum Empir. in Pyrrhon. Hypotyp. II p. 204 (p. 104 ed. Bekker): *ἐπεὶ γὰρ ἀπὸ τῶν κατὰ μέρος πιστοῦσθαι βούλονται διὰ τῆς ἐπαγωγῆς τὸ καθόλου, ἤτοι πάντα ἐπιόντες τὰ κατὰ μέρος τοῦτο ποιήσουσιν ἢ τινά. ἀλλ' εἰ μὲν τινά, ἀβέβαιος ἔσται ἡ ἐπαγωγή, ἐνδεχομένου τοῦ ἐναντιοῦσθαι τῷ καθόλου τινὰ τῶν παραλειπομένων κατὰ μέρος ἐν τῇ ἐπαγωγῇ, εἰ δὲ πάντα, ἀδύνατα μοχθήσουσιν, ἀπείρων ὄντων τῶν κατὰ μέρος καὶ ἀπεριορίστων. ὥσθ' οὕτως ἑκατέρωθεν, οἶμαι, συμβαίνει σαλεύεσθαι τὴν ἐπαγωγήν.* De scepticis scholiastes ad hunc locum ille quidem tacet, ceterum recte Luciano ita se partim opponit, ut ostendat in arithmetica totum et quasi summam e partibus cognosci solere. Idem tamen tacens Luciano illud videtur concedere: *ὁ μὲν τὸ ὅλον εἰδὼς εἰδείη ἂν καὶ τὸ μέρος.* At hoc quidem si ubique verum esset, inutilis foret omnis prope doctrina nostrae aetatis chemicorum. Pergo ad Hermot. § 65 fin.: *ἤ σοι ἀδύνατον*

*) Luciani verbis: *μόνος δὴ σὺ τἀληθὲς κατεῖδες, οἱ δ' ἄλλοι ἀνόητοι ἅπαντες, ὅσοι φιλοσοφοῦσιν,* scholium hoc adscriptum est: *τὸ τῆς σκεπτικῆς ἔοικας ὦ Λυκῖνε ληρεῖν, ἐπείπερ* (ita correxi pro *ἐπεὶ γὰρ*) *κἀκείνη ἀκαταληψίαν πρεσβεύουσα ἀνεπίκριτον ματαιολογεῖ τὸ ἀληθές, παρ' ὅσον πάντες ἄνθρωποι* (malim: *ἄνθρωποί εἰσι*) *καὶ τῇ τῶν λόγων ἰσοσθενείᾳ δεόμενοι τοῦ ἐπικρινοῦντος, ἀνθρώπῳ δὲ τοῦτό φησιν ἀμήχανον γενέσθαι, καθότι οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδιάτρεπτος γνώμης ἀληθοῦς.*

**) Similia in Parasito § 27 leguntur: at dialogus *περὶ παρασίτου* non videtur esse Luciani.

***) In hunc censum venit Fenger in libro ‚De Celso, Christianorum adversario, Epicureo' p. 52 et p. 53.

δοκεῖ ἅπαντας (scil. *τοὺς φιλοσόφους*) *ψεύδεσθαι, τὸ δ' ἀληθὲς ἄλλο τι εἶναι πρὸς μηδενὸς αὐτῶν πω εὑρημένον;* Cum his paene consenserunt Academici, et prorsus eadem tradiderunt Pyrrhonei, ut e sexcentis locis Sexti E. intelligi potest. Venio nunc ad Hermotim. § 69 init. usque ad § 70 fin., quae non opus est exscribere. Atqui haec quoque a scepticis omnia adsumta sunt. Inprimis vide Sextum Emp. in Pyrrh. Hyp. II, 144 (p. 89 B.): *ἀνύπαρκτός ἐστιν ἡ ἀπόδειξις,* II p. 170 (p. 96): *φανερόν ἐστιν, ὅτι ἀνυπόστατός ἐστιν ἡ ἀπόδειξις,* Adv. Mathem. II, 106 (p. 696): *οὐδέν ἐστιν ἡ ἀπόδειξις.* Adde huc eadem testantem Diogenem Laert. IX, 90: *ἀνῄρουν δ' οὗτοι (οἱ Πυρρώνειοι) καὶ πᾶσαν ἀπόδειξιν.* Hoc loco ne id quidem omittam, locutiones quoque et vocabula a scepticis repetita esse, cujus generis complura in commentariis ad Hermotimum adferentur. Sed nunc quidem satis erit pauca adnotasse. Principio cum verbis Hermotim. § 69 hisce: *διαγνωστικούς τε καὶ διακριτικοὺς ποιήσων ἡμᾶς* comparetur Sextus Emp. Pyrrh. Hyp. II, 229 (p. 111 B.): *εἰ — ἔστιν αὕτη διαγνωστικὴ — καὶ τούτων ἂν εἴη διακριτική* et Adv. Mathem. II, 67 (p. 688 B.) *διακριτικός* (bis). Tum in Hermot. § 36 ita conjicio: *πλεονεκτικῶς πάνυ αὐτὸ τὸ ἀμφισβητούμενον συλλαβών.* Nam lectiones *αὐτὸ ἔχειν* et mox *αὐτὸ εἶναι* licet falsae perdocent hic alicubi *αὐτό* excidisse et in margine codicis positum fuisse: excidit autem *αὐτό* eo ipso loco, quo supplevi. Nam eadem res plane sic enuntiata est et ab nostro in Jov. Trag. § 38: *αὐτό που τὸ ζητούμενον, ὦ Τιμόκλεις, ξυναρπάζεις* et ab aliis velut a Frontone p. 269: *αὐτὸ δὴ τὸ ἀμφισβητούμενον σφετεριζόμενος.* Illud doleo, in Hermotimo pro *συλλαβών* verbo aptissimo J. Bekkerum *σὺ λαβών* tam infeliciter conjectasse. At sicut *διδόναι* philosophis est ‚sponte concedere', ita *λαμβάνειν* eisdem est ‚jure sumere', at *συλλαμβάνειν πλεονεκτικῶς* potius est ‚injuria corripere'. Omnino hoc ipsum *τὸ ζητούμενον συναρπάζειν* nihil aliud significat nisi id quod nos dicimus: ‚das erst zu beweisende mit Unrecht als schon bewiesen annehmen.' Quam vim haec verba *τὸ ζητούμενον ξυναρπάζειν* vel apud eum unum scriptorem, quem Lucianus hic ducem sequitur, apud Sextum Empir. saepenumero habent: vide mihi Pyrrhon. II, 35 p. 64; II, 57 p. 69; II, 60 p. 70; II, 65 p. 71; II, 67 p. 72; II, 121 p. 84; III, 52 p. 132; III, 74 p. 138; Adv. Mathem. VII, 266 p. 248; VIII, 364 p. 368 ed. Bekk. Quod autem supra id ipsum ita latinum feci, ut verbo uterer ‚corripiendi', auctorem dabo Lucretium, cujus locus in suo genere unicus est, De R. N. V, 247: ‚illud in his rebus ne corripuisse rearis | me mihi, quod terram atque ignem mortalia sumsi | esse' —, ubi quum Lambinus falsa scriptura ‚Memmi' (pro ‚me mihi') deceptus male conjecisset: ‚ne me arripuisse rearis, Memmi': tandem Lachmannus antiquam lectionem: ‚ne corripuisse rearis me mihi' jure optimo restituit. Sed quid haec tam minuta consector, quum unus locus bene longus litem omnem dirimat, in quo et omnia Luciani cum Sexto paene

verbotenus consentiunt et qui Hermotimi locus ejusmodi est, ut in eo totius disputationis et dialogi summa vertatur. Haec dico in Hermot. § 74: *προχωρεῖτε ὑπὸ τῆς ἀκολουθίας ἑλκόμενοι, οὐκ ἐννοοῦντες εἴ πῃ γένοιτ' ἂν ἀκόλουθόν τι αὐτῷ καὶ ψεῦδος ὄν. οἷον εἴ τις λέγοι τὰ δὶς πέντε ἑπτὰ εἶναι καὶ σὺ πιστεύσειας αὐτῷ μὴ ἀριθμήσας ἐπὶ σαυτοῦ, συνάξει δηλαδὴ, ὅτι καὶ τὰ τετράκις πέντε τεσσαρεσκαίδεκα πάντως ἐστὶ καὶ μέχρι ἂν ὅτου ἐθελήσῃ. οἷα καὶ ἡ θαυμαστὴ γεωμετρία ποιεῖ· κἀκείνη γὰρ τοὺς ἐν ἀρχῇ ἀλλόκοτά τινα αἰτήματα αἰτήσασα καὶ ξυγχωρηθῆναι αὐτῇ ἀξιώσασα οὐδὲ συστῆναι δυνάμενα, σημεῖά τινα ἀμερῆ καὶ γραμμὰς ἀπλατεῖς καὶ τὰ τοιαῦτα, ἐπὶ σαθροῖς τοῖς θεμελίοις τούτοις οἰκοδομεῖ τὰ λοιπὰ καὶ ἀξιοῖ εἰς ἀπόδειξιν ἀληθῆ λέγειν ἀπὸ ψευδοῦς τῆς ἀρχῆς ὁρμωμένη. κατὰ ταὐτὰ τοίνυν καὶ ὑμεῖς δόντες τὰς ἀρχὰς τῆς προαιρέσεως ἑκάστης πιστεύετε τοῖς ἑξῆς καὶ γνώρισμα τῆς ἀληθείας αὐτῶν τὴν ἀκολουθίαν ἡγεῖσθε εἶναι ψευδῆ οὖσαν**). Cum hoc ipso Luciani loco C. L. Struvius in Lectt. Luc. p. 240 egregie contulit Sextum Emp. Adv. Geometr. 3, 10 p. 312 (p. 699 B.): *εἰ δ' οὐκ ἔστι τοιοῦτο ἀλλὰ ψεῦδος καθέστηκεν, οὐδὲν ὄφελος ἀνακύψει ἐκ τῆς ὑποθέσεως· κἂν γὰρ μυριάκις αὐτὸ ὑποτιθώμεθα, σαθροῖς, ὥς φασι, θεμελίοις οὐκ ἀκολουθήσει τὸ συμπέρασμα τῆς ζητήσεως ἐξ ἀνυπάρκτων ὁρμωμένης ἀρχῶν. οὐ μὴν ἀλλ' εἴ τις οἷς ἂν ὑποθῆται, τούτοις τὰ ἀκολουθοῦντα πιστὰ τυγχάνειν ἀξιώσει, μήποτε πᾶσαν ἀναιρεῖ ζήτησιν. εὐθέως γὰρ ὑποθήσεται ἕκαστος ἡμῶν τὸ τὰ τρία τέτταρα εἶναι καὶ τούτου δοθέντος συνάξει ὅτι καὶ τὰ ἓξ ὀκτώ ἐστιν· εἰ γὰρ τὰ τρία τέτταρά ἐστι, τὰ ἓξ ὀκτὼ γενήσεται· ἀλλὰ μὴν τὰ τρία τέτταρά ἐστιν, ὡς ἡ ὑπόθεσις δίδωσιν· τὰ ἄρα ἓξ ὀκτώ ἐστιν.* Ceterum in Hermotimo, quum agatur ‚*περὶ αἱρέσεων*', scepticorum auxilio uti licuit commodissime. Bene enim Diogenes L. IX, 74 de Pyrrhone: *διετέλουν δὴ οἱ σκεπτικοὶ τὰ τῶν αἱρέσεων δόγματα πάντ' ἀνατρέποντες, αὐτοὶ δ' οὐδὲν ἀπεφαίνοντο δογματικῶς*, et iterum IX, 111 de Timone Phliasio: *τῶν δὲ Σίλλων τρία ἐστὶν, ἐν οἷς ὡς ἂν σκεπτικὸς ὢν πάντας λοιδορεῖ καὶ σιλλαίνει τοὺς δογματικοὺς ἐν παρῳδίας εἴδει.* At, inquit, sceptici a plurimis et ipso silentio et verbis obtriti sunt. Exordiar a Photio, qui de Aenesidemi libris ita judicat in Biblioth. cod. 212 p. 170 B.: *ὅτι ματαιότης αὐτῶν καὶ πολλὴ λέσχη ἡ σπουδή.* Tum de Pyrrhone Cicero ubique contemtim loquitur tanquam de philosopho jam diu abjecto, contra quem jam pridem desitum sit disputari, veluti De Fin. B. E. M. II, 11 § 35, II, 13 § 43, IV, 16 § 43. Luciani vero aetate quantopere Pyrrhonei jacuerint, quum ex eo colligitur, quod ab Marco imperatore sceptici non magis salarium acceperant quam cynici, tum clare res intelligitur ex acri scepticorum adversario, Galeno, qui XIV p. 628 ed. K. Pyrrhoneos ita ridet, ut eos adpellarit ‚*τοὺς ἀγροικοπυρρωνείους*', sed totus ille Galeni locus perlegendus est. Idem Galenus in Favorinum Academicum quasi Pyrrhonis similem libellum scripsit

*) Cum hoc Hermotimi loco confer Hermotim. § 35 et § 36, ubi similis quaedam exstat cum numeris comparatio.

egregium: ‚*περὶ ἀρίστης διδασκαλίας*' I p. 40 sqq. ed. K., quem libellum e cod. Florentino emendatiorem nobis dedit Kayser ad Philostr. Vitt. Soph. p. 131 sqq. ed. prim., cujus critici adeas Praefationem p. XXXVII. Quam Favorini refutationem Galenus vel ex alio sceptico mutuari potuit, e primo libro Aenesidemi, si recte interpretor Photium in Bibl. cod. 212 p. 169—171. Quid quod ipse Lucianus Pyrrhonem multo gravius castigavit quam alios philosophos in Vitar. Auct. § 27. Attamen qui vel Sextum Empiricum, praeclarum haud dubie philosophum adtente perlegerit, is dialecticen certe Pyrrhoneorum non poterit non admirari. Ac similiter judicavit vir a scepticis alienior Photius Bibl. cod. 212 p. 171: *τοῖς μέντοι κατὰ διαλεκτικὴν μελέτην πονουμένοις — τὸ βιβλίον οὐκ ἄχρηστον* (libros dicit Aenesidemi). Quare illud non licet audacter adfirmare, quum Pyrrhoneorum secta adeo fuerit contemta, vel idcirco nullam vim ea probra habere, quae a Pyrrhoneis accepta in Hermotimo philosophis inferuntur. Illud vero dicere non solum licet verum etiam necesse est, ab Luciano qui Pyrrhoneos hic exscripserit, eandem argumentationem reposcendam esse, qua ipsi sceptici omnium argumentorum auctores antea usi erant. Atqui Lucianus ratione male conclusa inde collegerat, omni philosophia penitus abstinendum esse. Sed contrarium ipsis placuit scepticis, non abstinendum sed vel maxime utendum esse philosophia, eo tamen temperamento ut quam plurimi philosophos se esse profiterentur scepticos. Quanquam ne hoc quidem boni isti Pyrrhonei ab nobis impetrabunt. Neque enim cuivis datum est, ut se neque audire neque videre clamet nec quidquam intellegere, sed omnibus sensibus captum esse: quod si quis temere concesserit, ubi tunc erunt literae, ubi ipsa erit religio? Itaque quum ad vitae usum *ἐποχήν* istam transferre nullo pacto liceat, hoc unum scepticis largiendum est, ut eadem philosophandi via, quam nobis ipsi praeiverunt, ingrediamur. Nemo igitur verus erit philosophus, nisi qui idem disserere sciat dialectice.

---

§ 3.
Quam philosophorum sectam Lucianus secutus sit et qualis ipse fuerit philosophus.

Qui Pyrrhonis sectam Lucianum aliquando secutum voluerunt, improbe mentiti sunt. Literis ille ‚in Jonia', ut ait Bis Accusat. § 27 studuerat, i. e. opinor Smyrnae potius quam Ephesi sub magistris, quos ipse non magis quam Dio Chrysostomus magistros suos usquam nominavit, fortasse sub Polemone vel Scopeliano. Certo tamen etiam Platonico quodam usus fuerat praeceptore. Nam in ‚Nigrino' dialogo juvenis ipse Platonicum se esse profitetur, Platonicum inquam, minime Aca-

demicum. At quum rhetor evadere Lucianus voluisset, Platonicus ejus praeceptor non talis exstitisse videtur, qualem A. Gellius in Noct. A. 18, 13 descripsit ,dialecticum ex Platonis diatriba', sed potius Tauro similis, quem ex Gellio eodem cognitum habemus. Hic igitur Taurus ibidem I, 9 nunc sibi discipulos esse queritur, qui repente pedibus inlotis ad philosophos devertant ac tum aliquid addit quod Luciano quoque adolescenti accidisse suspicor: ,est etiam, inquit, pro Juppiter! qui Platonem legere postulet linguae orationisque comendae gratia'. Nam Platonis dialogos Lucianus non tam legit quam lectitavit, ut eis legendis ne satiari quidem posse videretur: quam rem ante nos nemo videtur perspectam habuisse, nisi forte solus T. Hemsterhusius. Multo autem post, quum e rhetore jam satiricus factus esset, relicto (paullo ante quam scriberet Bis Accus. § 34) Platone in castra transiit Epicuri, quem in Alexandro § 47 et § 61 valde admiratur et plures saturas scripsit adversus deos gentilium, in quibus libellis Epicureum ubique agnoscas. Quod autem suae aetatis philosophos, homines superstitioni avaritiae luxuriaeque deditos plane denudavit, justa laude non fraudandus est, quam et alii et Jacobus (Charakteristik Lucians p. 53 sqq.) ei impertiit. Ceterum in veros saevire philosophos Domitiani fuit, de quo Tacitus in Agricola c. 2 bene queritur, Luciani non fuit, qui et literarum (in his philosophiae) et modicae libertatis amorem nunquam dissimulavit*). Immo idem veteres philosophos, Platonem maxime Aristotelem et Epicurum, quibus in solo Hermotimo non pepercit, alibi admiratus est. Quos quum Menippus Gadarenus suis in saturis certo traduxerit, sic existimo aut Hermotimum antiquae saturae ab ipso Menippo scriptae novam esse recensionem (διασκευήν), aut certe Menippi quoque aliquam saturam ,περὶ αἱρέσεων' exstitisse, ex qua in Hermotimo Lucianus multum profecerit. Quaeri etiam illud potest, qualis ipse Lucianus fuerit philosophus, de qua re alii alia dicere et ne eidem quidem sibi satis constare solent**). In universum adparet philosophiae neque prorsus ignarum nec rursus tanto nomine satis dignum fuisse philosophum. Quumque morum doctrinam potissimam duceret, in alias disciplinas se exhibuit iniquiorem. Bene Wielandius ad Vit. Auct. c. 14 (T. I p. 380 adn. 20): ,speculative Philosophie war

*) Quum olim Hermiae philosophi christiani libellum: ,Διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων' legissem, quasi Luciani Hermotimum mihi relegisse visus sum. Ante Hermiam patres ecclesiastici, velut Justinus M., de Graecorum philosophia honorificentius senserunt. At postquam haeretici philosophorum graecorum placitis temere inlatis evangelium ipsum infuscarunt (id quod Hippolytus scriptor nuper repertus demonstravit): fieri non potuit, quin patres contra Graecorum philosophiam acrius disputarent. Vide exempli causa Lactantium in Instit. Div. lib. III toto hoc libro et maxime c. 1 et c. 16.

**) Chlebus quidam, qui juvenis diem obiit, Berolini a. 1847 minutum commentariolum ,de Luciano philosopho' (i. e. malo philosopho) edidit, quod ipse non vidi sed notitiam rei aliis debeo. Verum Trendelenburgius vir de philosophia graeca optime meritus interroganti mihi respondit, videri sibi Lucianum neque ipsum philosophum fuisse neque de aliis philosophis recte judicasse.

Lucians Sache nicht'. Sed laudem quum alia merentur tum succincta philosophiae historia, quam Fugitivis § 5 sqq. inseruit. Jam Demonactis magni philosophi familiaritate Lucianus perdiu usus est, ut in Vit. Demon. § 1 ipse testatur. Ac ne quis ita loquatur de Demonacte Lucianum, qui meras ei facetias imputet, ne judicare quidem scivisse, ego cavere studui in edit. mea Luciani Vol. II P. I p. 195 et postea: ,De fragmentis Demonactis' p. 8, ratus in Vit. Demon. § 11 fin. post v. ἐκαλλιερήσατε haud pauca Luciani verba excidisse. Qua in re J. Sommerbrodtius vir acutissimus literis datis aut mihi adsensus est aut certe hanc rem concessit magni esse momenti. Sed quod ad Hermotimum adtinet, tanta ex hoc dialogo scepticae philosophiae scientia elucet, quanta Lucianum fuisse instructum aliis locis certo ostendi nequit: et vel sic tamen Luciano crediderim philosophiam graecam tam bene perceptam fuisse. At per se fieri etiam illud potest, ut ea quae in Hermotimo a scepticis accepta exstant, prior scripserit Menippus Gadarenus, philosophus ille multo major Luciano.

---

§ 4.

De Varronis satura ΠΕΡΙ ΑΙΡΕΣΕΩΝ.

Pergamus nunc ad saturam cognominem e Menippeis M. Terenti Varronis, cujus saturae etiamnum tria exstant fragmenta. Primum enim Nonius p. 171, 14 sic incipit: ,Varro περὶ αἱρέσεων' subjectis duobus e Varrone trimetris claudis, deinde idem Nonius p. 351, 22 eodem modo praefatus verba aliquot Varronis indidem adfert. Majorem autem vim locus habet tertius, qui et in eodem Nonio p. 94, 27 et in Prisciano III p. 98, 8 (sive III, 4 p. 120 Krehl.) legitur post hanc utrubique praefationem ,Varro περὶ αἱρέσεων'. Ipsa Varronis verba haec sunt: ,porro inde ab unoquoque compito ternae viae oriuntur, e quibus singulae exitum ac τέλος habent proprium. A primo compito dextimam viam munit Epicurus'*). Qui locus quum sectis philosophorum occupatus sit, ad rem vel maxime pertinet. Neque enim dubitare licet, quin haec Varronis satura: ,περὶ αἱρέσεων', in eodem argumento, quo Lucianea: ,Ἑρμότιμος ἢ περὶ αἱρέσεων' versata sit, id est in describendis sectis philosophorum. Quumque ambo et Lucianus et Varro Menippum ducem sequantur: quis non quovis pignore contendat, saturam eodem nomine ,περὶ αἱρέσεων', pari etiam aut simili certe argumento ab ipso jam Menippo compositam fuisse? In universum autem Varro Menippeus alia ipse excogitavit, alia ab Menippo suo mutuatus est. Ipse enim pedestri sermoni

*) Haec fragmenta in sylloge Fr. Oehleri p. 188 et in meliore Al. Riesii p. 191 leguntur.

multos versus eosque plane mellitos inseruit metris vel maxime variis non sine Sotadeo, quippe qui omnia metra, in his Plauti sui numeros innumeros in numerato haberet. Et metra quidem inprimis ab G. Hermanno et C. Lachmanno partim restituta sunt. Sed idem Varro eorum qui tum erant Romanorum luxuriem et avaritiam saepe notavit: quae quum ad certam historiae fidem revocari pleraque nequeant, vanis tamen conjecturis nuper tentata sunt. Quam ego mallem docti juvenes ad illa melius attendissent, non quae suo ingenio invenit, sed quae ex ipsius Menippi fontibus derivavit. Tenendum est enim inprimis, virum Romanorum unum fere eruditissimum in philosophia tamen operae facere pretium non potuisse, sed philosophum eundem fuisse pejorem etiam Luciano: qua in re cum J. N. Madvigio ad Cic. De Fin. B. E. M. Excursu IV p. 838 et Th. Mommsenio (Römische Geschichte III p. 588 ed. quart.) prorsus consentio*). Atqui multa vel ex iis quae aetatem tulerunt, ejusmodi sunt, ut nisi ab homine philosophiae graecae probe intelligente scribi non potuerint. Cicerone vero judice, qui illos Varronis libellos adhuc integros legerat, in saturis ejus ‚multa admixta erant ex intima philosophia, multa dicta dialectice' (Academ. Poster. I, 2 § 8). Haec igitur Menippo ipsi tanto certius reddenda sunt, quod Varro, ut jucunditate animos perfunderet, saturas quadam hilaritate consperserat. Namque Varronem plane deficiebant dicacitas illa Aristophania et acumen vere satiricum, quo utroque et ipse Menippus et multo post Lucianus abundabant. Ita quae ex interiore philosophiae graecae sacrario depromta erant, Varro pleraque accepta Menippo retulerat et (ut cum Quintiliano J. Or. I, 4 loquar) ‚quae praecepta sapientiae Lucretius et Varro versibus tradiderunt', ea quum ab Epicuro Lucretius tum Varro ab Menippo petierant. Quum autem plurima fragmenta ad philosophiam adtineant, sane multum hic imitator non interpres Menippo suo debuerat. Tamen quaeritur, quae reliquiae generis philosophici de numero Menippearum rursus eximendae et quasi propriae Varroni tradendae esse videantur. Equidem hic quoque a Tullio proficiscar, qui in Acad. Post. I, 3 § 9: ‚philosophiam, inquit, multis locis incohasti, ad impellendum satis', id est ab Varrone hoc vult actum esse, ut ad philosophiam Romanos impelleret. De qua re, ut jam alibi (De Script. Sat. III p. 9) dictum est, me fateor addubitare. Neque enim Varro satiricus, si ad philosophiae studium Romanos excitari voluit, tam fuit ineptus, ut idem Menippum unice imitaretur, qui ridendis philosophis ab philosophia homines studuerat deterrere. Ita fieri potest, ut Cicero, qui ipse suis in libris sane ad philosophiam Romanos incitari voluit, suum unius propositum temere ad Varronem transtulerit. Et tamen sic quoque manet, alio consilio

*) Uterque ut hominem ingenio ad philosophiam non aptum fuisse ostenderet, unico Varronis loco e libro ‚de philosophia' usus est (ap. Augustin. De Civ. Dei XIX, 1): quo loco Varro ad CCLXXXVIII sectas, quae in philosophia esse possent, numerando an somniando pervenit. Sciant tamen tirones, aliis quoque argumentis locum fuisse, quibus illi scientes abstinuerunt.

saturas ipsum Menippum scripsisse, alio rursus Varronem, qui certe ab philosophia Romanos haudquaquam voluerat avocari. In fragmentis enim tametsi philosophia saepius reprehenditur, eadem tamen etiam impense conlaudata est velut in eximio loco ap. A. Gellium N. A. XV, 19. Omnis autem res quam nunc agimus quum aliis Varronis saturis, tum illa ipsa ‚περὶ αἱρέσεων' commode inlustrari poterit. Nam Menippus si quam eodem nomine saturam ediderat, prorsus ille quidem (ut in Hermotimo Lucianus) omnes philosophorum sectas voluerat derisas. At Varro ‚περὶ αἱρέσεων' etsi permulta fortassis ab Menippo sumserat, alia tamen, ne nimis philosophiam inluderet, etiam e philosophorum libris eodem nomine ‚περὶ αἱρέσεων' inscriptis adscivisse videtur. Nam superius illud fragmentum, quod apud Nonium et Priscianum exstat, in describendis sectis philosophorum unice versatur, non item in deridendis. Quodsi ut Lucianus in Hermotimo, ita suis in saturis Varro scepticos interdum secutus est: certo sequetur ducem utriusque Menippum a Pyrrhoneis quodammodo suspensum fuisse. Scimus dogmaticae philosophiae obtrectationem scepticis omnibus communem in Menippum cadere, in Varronem ut supra vidimus eandem non cadere, neque tales Menippi locos apte in saturam derivari latinam potuisse. Enimvero omnis scepticorum doctrina ad meram fere rediit dialecticen. Quum autem nullus unquam satiricus carere dialectica potuerit, quumque etiam ab Varrone, ut est apud Tullium, ‚multa dicta fuerint dialectice': profecto nihil impedit, quin et Menippus et vero etiam Varro scepticorum artem eorumque dicta dialectica secutus sit, dummodo illa digna essent philosopho, non obtrectatore. Quo magis nostrum est quaerere, num quae scepticorum doctrinae vestigia in Varronis saturis impressa legantur: quam rem nunc uno certe loco in his temporum meorum angustiis confirmabo. In quo eodem parodias Menippi Homericas imitator expressit, ut haec docent Varronis: ‚ebrius es, Marce: Odyssean enim Homeri ruminari incipis', quibuscum alias contuli Lucianea in Charone § 23 init. Nempe non solum Lucianus parodias easque partim ex Odyssea haustas solet inserere, sed etiam Varro in saturis Ennium aliosque poetas parodiis ridet saepius, quam olim ipse putaram. Adponam nunc duo ‚Bimarci' saturae fragmenta, quae propemodum cohaerent et justo adponam ordine. Quorum prius integrum est in Nonio p. 383, 26, et verba ‚Odyssiam — incipis' in eodem p. 480, 23: ‚ebrius es, Marce: Odyssian (Odyssean) enim Homeri ruminari incipis, cum περὶ τρόπων scripturum te Sejo receperis.' Ad extremum vulgo est ‚te scio', sed in duobus codd. bene legitur: ‚te seio', unde Buecheler et p. 106 Riesius ‚te Seio' restituerunt. Viros autem Varroni aequales hoc nomine plures novimus, ut Cnaeum Sejum (ap. A. Gellium N. A. III, 9), sed hunc ipsum Varronis Sejum non magis novimus quam Marcum, quorum hic in epigraphe joco dicitur ‚Bimarcus', quocum componere juvat Tullianum ‚bimaritus' (pro Plancio c. 12 § 30). Alter ejusdem Bimarci locus item in Nonio est p. 530, 21: ‚τρόπων τρόπους qui non modo ignorasse

me clamat, sed omnino omnis heroas negat nescisse'. Ubi primum variatur ,quo non' (pro ,qui non') deinde in uno codice ,hero^{h}as' (pro ,heroas'), postremo cod. Parisinus habet: ,nescisse quo ludis' (pro uno verbo ,nescisse'). Trimetros auctore J. Vahleno (In Varr. Sat. Men. reliq. p. 137) Riesius p. 106 ita redintegrari voluit:

,*Τρόπων τρόπους* qui nón modo ignorásse me
Clamát, sed omnino ómnis heroás negat
Nescisse'

in universum recte. At quum istuc ,quo' non ad v. 3 sed ad v. 1 h. e. ad ,quo non' spectare videatur, cod. Parisinus docet ita potius corrigendum esse:

,*Τρόπων τρόπους* qui nón modo ignorásse me
Clamát, sed omnino ómnis heroós negat
Nescisse ludos'.

Nimirum qui heroicos ludos nesciebat, is ne Homerum quidem neque tragicos legerat, a quibus ludi heroum funebres abunde descripti sunt. Sed quod ad ea adtinet, quibus nihil esse videtur obscurius, dico verba prioris fragmenti ,*περὶ τρόπων*' itemque alterius ,*τρόπων τρόπους*', omnia interpretum somnia prudens sciensque omitto. Quorum nullus vidit haec ipsa verba ad scepticos philosophos unice referenda esse. Vide mihi Aenesidemum ap. Diog. Laert. IX, 79: *αἱ δ' ἀπορίαι κατὰ τὰς συμφωνίας τῶν φαινομένων ἢ νοουμένων, ἃς ἀπεδίδοσαν, ἦσαν κατὰ δέκα τρόπους, καθ' οὓς τὰ ὑποκείμενα παραλλάττοντα ἐφαίνετο. τούτους δὲ τοὺς δέκα τρόπους τίθησιν* (deinceps hos decem modos inlustrat). Porro hinc explicatur titulus operis ab Favorino editi ,*Πυρρωνείων τρόπων*' libri decem ap. A. Gellium N. A. XI, 5. Omnium vero gravissimus locus est Sexti Empirici ***Πυρρ. Ὑποτ.*** I, 36 p. 12 F (p. 10 B.): *παραδίδονται συνήθως παρὰ τοῖς ἀρχαιοτέροις σκεπτικοῖς τρόποι, δι' ὧν ἡ ἐποχὴ συνάγεσθαι δοκεῖ, δέκα τὸν ἀριθμόν*, quos decem modos ille deinceps explanat. At, inquit, quid tandem apud Varronem sibi volunt aenigmata ista: *τρόπων τρόπους*? Enimvero id quoque clare docebit idem Sextus Empir. l. l. p. 13 F. (p. 11 B.), ubi decem illos modos dicit ,*ὑποβεβηκότας*' et ita loquitur: *τούτων δὲ* (scil. *τῶν δέκα τρόπων*) *ἐπαναβεβηκότες εἰσὶ τρόποι τρεῖς, ὁ ἀπὸ τοῦ κρίνοντος, ὁ ἀπὸ τοῦ κρινομένου, ὁ ἐξ ἀμφοῖν* atque etiam addit his tribus modis illos decem ,*ὑποτάσσεσθαι*'. Ex qua re sequitur, Varronem pro verbis ,*περὶ τρόπων*' scribere etiam sic potuisse: ,*περὶ τῶν δέκα τρόπων*', et pro illis verbis ,*τρόπων τρόπους*' potuisse sic: ,*τῶν δέκα τρόπων τοὺς ἐπαναβεβηκότας τρόπους τρεῖς*'. Eandem rem aliis verbis paullo post ita Sextus repetiit: *πάλιν δὲ οἱ τρεῖς οὗτοι ἀνάγονται εἰς τὸν πρός τι, ὡς εἶναι γενικώτατον μὲν τὸν πρός τι, εἰδικοὺς δὲ τοὺς τρεῖς, ὑποβεβηκότας δὲ τοὺς δέκα*. Quae quum ita sint, in priore Varronis fragmento interlocutor incertus mentem fluxam Marci miramque vinolentiam increpat, in altero autem infelix iste Marcus eidem respondet, abs quo dictus erat et philosophorum placita et studia poetarum omnino neglexisse.
